

HEINRICVS MVNTZINGERVS MEDICVS EYSTETENSIS.



**H**einricus Basileæ honestis parētibus in mino  
ri urbe natus est, anno 1522. Ibi à pueris operā  
literis dedit, & sub Xisto Betuleio prima rudimen-  
ta posuit. Cum autem postea anno 1529 religio Ba-  
sileæ mutaretur, atq; magistratus in Dominicanorum  
monasterio aliquot ciuiū filios collocaret, qui  
in literis & pietate instituti, aliquando Ecclesiæ &  
scholæ cum laude præesse possent, etiā Heinricus  
ob præclaram indolē receptus fuit. In eo loco per  
decennium cōmoratus, diligenter literis incubuit,  
præceptore primo Simeone Sultzero, deinde Seba-  
stiano Lepusculo, uiris doctis & pijs usus. Cum au-  
tem adoleuisset, atq; artiū cognitionē hausisset, ani-  
mum ad Medicinæ studiū adiecit, & in eo plurimū profecit. Inde anno 1544  
liberalium artium Magister in patria creatus, ad tempus scholæ ad S. Petrum  
præfuit, & iuuentutem instituendo nihil intermisit. Quoniam uero altiora re-  
spiceret, literarum Mœcenatibus D. Fuggeris à quibusdam amicis comen-  
datus fuit, quorum subsidio in Galliam missus, & per triennium ibidem suste-  
natus fuit. Inde in Italiam profectus, Pisis gradum Doctoris suscepit, & per se-  
quianum Florentiæ Medicinam factitauit.